



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **In Amos, Abdiam, Et Ionam Prophetas, Commentarij Francisci Lamberti Auenionensis**

**Lambert, François**

**Argentorati, 1525**

**VD16 B 3868**

Pars Secvnda. Secundo, aduersum Iuda, hoc est, regnum duarum tribuum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-35983**

cum bestia illa coccinea, cui insidet. Si tam durum iudici-  
factum est contra Moabitas, ob incensa defuncti ossa,  
quid fiet aduersum eos, qui etiam Dei leges, ac omnes Pro-  
phetas & amatores eius, calcant, suffocant, persequun-  
tur, imò etiam ipsum Dominum **I E S V M** Christum,  
quem sibi ipsi rursus crucifigunt? Propterea non con-  
uertuntur à Domino, sed indurati dimittuntur. Veniet au-  
tem seu summus eius indignationis ignis, & deuorabit eos,  
& suam **Carioth**, id est, **Babylonem**. Morientur quoque  
in sonitu & clangore tubæ, eloquiorum Dei, & disper-  
dentur Principes & sapientes eorum, quòd omnis eorum  
altiludo & sapientia à Satana sit. Scriptum est autem:  
Perdam sapientiam sapientium, & prudentiam pruden-  
tium reprobabo. **Esa. 29.** & **i. Corinth. 1.**

P A R S S E C V N D A.

**N**æc dicit Dominus: Super tribus sceleribus  
**Iuda**, et super quatuor, non conuertam eum,  
eo quòd abiecerit legem Domini, & manda-  
ta eius non custodierit. Deceperunt enim  
eos mendacia sua, post quæ abierant pa-  
tres eorum. Et mitram ignem  
in Iudam, & deuorabit  
ædes **Nieru-**  
**salem.**

C 9 Iudas

FRANC. LAMB. IN AMOS

**I**udas, de legis dei transgressione, præ cunctis reprehēditur, eo quòd uerbum, etiam præ cæteris, plenius adceperit. Siquidem ingratitude, scelerum grauitatem auget. Mendacijs autem proprijs seducti fuerunt, ita ut Dei ueritatem spernerent, à qua nihil tam abducit, sicut ipsa mendacia nostra, id est, quæcunq; sine Dei uerbo cogitamus et facimus: nimirum impossibile est, ut quisquam Dei uerbo, simul & ipsis mendacijs, hæreat.

Adhærentes ergo mēdacio, abiecerunt legem Domini, & mandata eius non custodierunt. Propterea à suis criminibus non fuere conuersi, sed in eis dimissi, ut satiarentur mendacio, qui ueritatem noluerunt. Elegerunt maledictionem, & uenit eis: et noluerunt benedictionem, idcirco ab illis longè facta est. Et uastatus est Iudas, & Hierosolyma igne Deus consumpsit, per Nabuchodonosor. 4. Reg. ultimo. 2. Paral. ultimo, & Hieremiæ etiam ultimo.

Hic locus maxime facit, aduersum diuinæ ueritatis contemptores, eos præsertim, qui ipsam ueritatem abijciunt, et nihilominus interim pro Dei populo haberi uolunt. Dicunt se Iudeos, id est, electam Dei gentem esse, cum in ueritate nihil minus sint, quinpotius sunt ipsissima Satana synagoga. Sed quod est eorum iudicium à Domino? Dimittuntur in suorum criminum profundo, duri, cæci, miseri, Domino execrabiles, non habentes sortem inter sanctos, & ignis diuinæ indignationis, illos oportuno & præfinito tempore deuorabit.